

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XX. De hyporgisi fallente.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

et usurpent ; alii sunt qui præter voluntatem divitiis carent, pœnaliter et coacti mendicant, ambiuntque multa cupiditate terrena, insudantque multis laboribus vehementer ut ea habeant et acquirant. Respondit Dominus ad hæc dicens : Hi qui inviti onus portant paupertatis, meam justitiam experiuntur, quia si terrenis abundarent, non me plus diligenter vel agnoscerent ; unde oportet ut eos per pœnæ durtiem ad me traham. Charitatis autem pauperibus amplius tribuo quam audeant ipsi tribuere ; non tamen sustineo in ipsis pulverem quo terrenis dediti gravarentur. Desidero ut corda eorum semper pateant mihi et aspirent ad me , ac sine impedimento jugiter in eis resplendeat luminis mei fulgor.

XX. DE HYPOCRISI FALLENTE.

INSTRUCTOR meus Spiritus Sanctus est, docens me suaviter prout vult, occulta tenens quæ latere vult. Ait ergo : Sapientia sine Spiritus Sancti firmamento convertitur in montem superbiæ in extremo ; pax sine ejusdem Spiritus vinculo, in vanam lætitiã redigitur continuo ; humilitas sine charitatis incendio manifesta falsitas fit in novissimo ; justitia sine fundo [humilitatis] crudelis efficitur ex odio ; paupertas cum frequenti avaritia est in se criminosa superabundantia ; timor crudelis in vera culpa inducit horribilem tristitiã in patientia ; suavitas incessus cum animo lupino deprehenditur faciliter a prudente viro ; sanctum desiderium in veritate raro pervenit sine labore ; [vita bona absque contentione facile ad inutilia flectitur] ; virtus elata absque Dei munere perit flagello superbiæ ; speciosa promissa sine fideli redditione falsitas est ex diaboli persuasione ; fiducia carens vera securitate efficitur mors animæ in vitæ extremitate ; patientia quæ Deo ex corde non subditur, in peccatum reputabitur. Omnis enim qui in factis suis ad Deum ac mente non erigitur, tandem ab ipso cadens verecunde dejicitur. Amor cui non est mater vera humilitas et pater sancti timoris veritas, plusquam alia virtutum falsitas abjicitur, tamquam detestabilis vanitas.

III. 14.

QUOMODO VITIA SOLENT DISSIPARE VIRTUTES.

- III. 7. **M**AGNUM detrimentum nobis generat quod sine utilitate bonorum operum pertransimus; prava consuetudo confundit et maculat, et proximos ubique scandalizat. Terrenorum cupiditas sanctæ doctrinæ est abolitio vel deletio, et iniqua cordis distractio. Duræ mentis pertinacia pietatis divinæ est societatis humanæ exterminatio et mors animæ. Hostilem mentem fugit Spiritus Sanctus, et rancorosum cor familiaritatem Dei minuit et extinguit. Hypocrisis et falsa sanctitas non subsistet, veraque Dei charitas nunquam excidet. Si horum hostium malitiis cesserimus, non solum regno cœlorum nos spoliant, [est enim quoddam cœli atrium nos hic sancte vivere;] verum etiam donis Spiritus Sancti bonisque moribus et charitate Dei evacuant atque privant, oculos cogitationis eruant, et cæcatos in septiformem peccatorum laqueum introducunt. Et quo tunc pergit homo nisi ad inferni loca, ut mergatur in abisso?

XXI. DE MALITIA ET PECCATO.

- V. 10. **O**MNIPOTENTIS Dei magnitudini nulla adeo est comparabilis magnitudo quam peccatricis meæ iniqua et audax malitiæ amplitudo.
- V. 16. Quidam indurati homines et perversi asserunt quod peccare non sit *diabolicum*, sed humanum. Ego autem in omnibus corporis mei tentationibus et perversi cordis motibus, sensuumque meorum apprehensionibus necnon et nobilibus intellectibus aliud conijcere non valeo, nisi quod peccare diabolici spiritus est, non humani; omne enim grande vel leve peccatum similem facit diabolo et consortem; assumpta namque per liberum arbitrium diabolica conformitas plus deformat et officit quam innata et illata humanitati poenalitas, id est fames et sitis, et similia quæ Christus ipse homo factus pro nobis pertulit et nobiscum. Quod si peccatum homini naturale esse debuit, etiam ipse, cum verus esset homo,